



Q 24

U 1 H

2. B. V.
DISPUTATIO POLITICA
DE
POTESTATE
LEGISLATORIA,

Quam
Inclytæ Facultatis Philosophicæ
permissu
sub

PRÆSIDIO
M. JACOBI THOMASII,

Philos. Practicæ Prof. Pub.
ad d. 25. Novemb.

horis & loco consuetis
tuebitur

JOHANNES HILLEBOLD,
Rigâ Livonus.

LIPSIÆ,
Typis IOHANNIS WITTIGAN /
M, DC, LIV.

M

I



DISPUTATIO POLITICA

POTESTATE
ECCLISIATICA

M. JACOBI THOMASII

JACOBI THOMASII

THEOPHILUSI



ΣΥΝ ΘΕΩ.



Etus fabula est, fuisse quoddam initio mundi seculum aureum, in quo homines suo pte ingenio, prohi sine legibus inter se coluerint. Neq; hoc soli Poeta canun, quibus alioqui fingendi quaedam licentia est; apud Philosophos etiam atq; Historicos (Senecam epist. XC. Tacitum lib III. Annal. ubi de initiis & progressibus legum, & Justinum printipio libri I.) legas consimilia. Quibus ignosci non aliâ conditione potest, quam ut fateantur, verâ historiâ se destitutos fabulis fidem dedisse: aut, Rhetorum in morem exilia deprimentes, qui rudib; contenti ac paucissimis legibus vixerint, eos nullis planè inter se conjunctos dixiss;. Nobis compertum est, aureum tale seculum nunquam fuisse ullum, nisi brevissimi temporis spacium, quod in Paradiso primum par hominum egit, seculi appellatione digneris; aut antiquissimos mortalium, non propriis laudibus, sed comparatione progeniei longè nequioris aestimatos, aurea probitatis fuisse dicas: inter quos tamen, antequam in civitatem exerescerent familia, fratricidam fuisse scimus. Hos ergò tales, utcumq; meliores nobis, pravos certè jam & corruptos, in societate civili absq; legibus vivere non quivisse, manifestum est. Sed fac, sanctis moribus fuisse. Ne sic quidem careri potuit legibus, nisi unum quemq; sibi vixisse, & neminem alteri subjectum fuisse, hoc est, greges hominum ferino ritu promiscuè palasse, simul fingas. Sine legibus enim ne cogitari quidem potest administratio imperij, quippe quod non aliter, quàm jubendo parendoq; impletur. Sive autem jussiones dicas, sive ar

A 2

bitria

bitria, siue leges imperantium, parum interest. Etsi enim inter leges atq; arbitria distingui potest, quod & Justinus facit: supremi tamen arbitrii atq; legis ferendæ indivulsa sunt potestates. Quas mox cum imperantium majestate, perinde ut cum patrio jure potestatem præcipiendi liberis, cæpisse non debet à nobis dubitari. Quare & in juribus majestatis communi ferè omnium Politicorum consensu **POTESTAS LEGISLATORIA** primo numeratur loco. De quâ cum decretum sit nobis quædam Academico more proponere, quæ materiam præbeant placidè nobiscum disserere volentibus, non est, quod prolixiore exordio hæc lecturos moremur.

I.

Nomen ipsum *Legislatoria Potestatis* adeò plenum est, ac sonororum, ut in animo audientis solâ sui memoracione conceptus eos gignere possit, quibus aliàs justa, sed frugalis tamen, censetur definitio. Qui enim audit, esse quoddam Jus Majestatis, quod **POTESTAS LEGISLATORIA** appelletur, jam formam ejus audit, quæ est **POTESTAS**; & objectum, circa quod hæc versatur, **LEGES**; & modum versandi, **LATIONEM**.

II.

Tale ergò nacti argumentum poteramus statim ad definiendum procedere, nisi in ipso vocabulo adhuc essent quædam, quæ aut exposita lucem allatura dicendis, aut non exposita caliginem offusura viderentur.

III.

Principiò **POTESTATIS** nomen non qualemunque denotat facultatem aut potentiam, sed jus ex eo genere, quod Hugo Grotius lib. I. de jure belli ac pacis cap. I. §. 4. definit *qualitatem moralem persone competentem ad aliquid justè habendum vel agendum*. Græci ab eo, quod est licere, ἐξουσία appellarunt, & manifestiùs à voce δυναμεις distinxerunt, quàm Latini *potestatem à potentia*. Quæ duo, cum ab eadem origine descendant, facilius est confundere, cum tamen distinctarum facultatum nomina sint. Ut enim e. g. aliud est ædifi-

dificandi in quo loco potentiam habere, aliud potestatem; siquidem potentiam habet architectus, potestatem Dominus fundi; sic & eam, quæ circâ leges est, potestatem à potentiâ distinguas, ut potentia sit penes virum prudentem, legum formandarum peritum; potestas penes Magistratum, qui jus habet subditos jussionibus suis adstringendi.

IV.

Hinc factum, ut ipsæ quoque persone potestatem, h. e. jurisdictionem aut imperium habentes, *μετανομικῶς potestates* seu *ἐξουσίαι* sint appellatæ. Rom. XIII. v. 1. *Omnia anima potestatibus supereminentibus (ἐξουσίαις ὑπερῆχουσιν) subdita sit.* Modestinus J. C. l. fidejussor ff. de pignor. *Fidejussor impetravit à potestate, ut antequam solveret, pignori ipse possideat.* Hoc sensu & juvenalis Sat. X. v. 100. *Fidenarum Gabiorumq; Potestatem dixit; & Italis etiamnum il Podestà Prator aut alius quis Magistratus nuncupatur.*

V.

Quod autem distinctam esse diximus potentiam à potestate, uti *δύναμις* ab *ἐξουσία*, non eò valet, ut hæc duo adversa sint statim & pugnantia, seu incompatibilia, aut minimùm ab se invicem tam procul distantia, ut nunquam alterum ex altero firmiter probari possit. Liceat enim hoc obiter insinuare, ne quis putet, patrocinari nos Calvinianis, qui hæc distinctione abutuntur ad eludendam vim fortissimi argumenti è Matth. XXVIII. v. 18. deprompti, quo orthodoxi omnipotentiam Christo homini concessam defendunt. Ubi quoniam sola *ἐξουσία* expressè nominatur, & vox *δύναμις* subicitur, latibulum quærunt adversarii in voce *ἐξουσίας*, tanquam ab *ἐξουσία* à DEO immediatè concessâ non liceat ad *δύναμις* argumentari, quasi que soleat interdum Deus sterilem ac fatuam *ἐξουσίαν*, quæ *δύναμις* careat, tribuere; quemadmodùm homines *ἐξουσίαν* aliis communicant, *δύναμις* verò nec infundunt simul, nec infundere possunt. Absit à nobis, ut hæc mensurâ divinos actûs metiamur. Sed hæc de re, si lubet, Meisnerum ad *Part. I. Philos. Sobr. Qu. Gramm. 1. p. 389.* & Christian. Matthiam *lib. III. System. Polit. Exerc. I. sect. 1. p. 265.*

VI.

Porro etsi significantior est vox Græca *ἐξουσία*, quàm Latina *potestas*, quoniam non eorum omnium, quæ *possumus*, potestas nobis est,

est, sed eorum tantum, quæ licent, (ὅτι ἐστὶ πάντων ἐξουσία, ὡν δυνάμει δα, αὐτὸν ἐξουσίαν μόνον:) tamen si è Jctorum loquendi formulâ fiat æstimatione, aliquantò meliùs respõdebit *potestas τῆ ἐξουσία*. Hi enim ea tantum volunt nos posse, quæ honestè possumus. Nam quæ facta ledunt pietatem, existimationẽ, verecundiã nostram, & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, l. filius ff. de cond. instit. Unde turpia omnia, quamvis re effici possint, jure tamen leges, impossibilibus adnumerantur. Forner. ad l. Nepos Proculo ff. de verb. signif. Prælusit huic significationi Seneca, cujus aureum dictum hîc quoq; legi meretur: *Tantum, inquit, quantum vult, potest, qui se, nisi quod debet, non putat posse*, Epist. XC.

VII.

Vidimus vocabulum *potestatis*. *Legislatoriam* à ferendis legibus dici ne pueri quidem ignorant. Sed explicandum est, quid sint hîc *leges*, quid item *ferre legem*. Neq; enim omnium legum, neq; qualitercunq; ferendarum potestas est, quam definire meditamur.

VIII.

Varia valdè & ambigna est *legis* appellatio. Cave enim putes, cum *Leges* divinas, cum naturæ, cum gentium, cum civiles, cum Ecclesiasticas audis, in his omnibus vim parem esse vocabuli. Sed & alia, jam in eruditorum scriptis, jam in ore etiam populi, *legum* nomine efferuntur, quæ hîc studiosè omittimus, quibus non est animus omnia consuetari, sed ea tantum afferre, quæ sint affinia argumento nostro. Quare hîc id unum observare operæ pretium erit, longè diversam esse naturam earum legum, quæ è solo superioris arbitrio, & illarum, quæ ex mutuo consensu vim obligandi nanciscuntur. Quorum his rectiùs *pactorum* nomen & *conventionum* imponemus, ut *legum* appellatio integra servetur illis, quas superioris autoritate valere diximus. Nam talium quoq; est potestas, quam *legislatoriam* nuncupamus.

IX.

Elucescit hinc continuo, *Ecclesiasticas* leges, & eas, quæ *Juristarum* titulo usurpantur, minimè ad potestatem nostram legislatoriam spectare. Pendet enim utrumque genus à consensione mutua, non ab autoritate superioris cujuscumque. Nam, quod ad *Ecclesiasticas* attinet, dudum evicerunt Theologi nostri, ferendarum earum

rum

rum jus non Romano Pontifici, qui Monarcham se obtrudit, sed toti Ecclesie competere, (vid. Meisner. lib. IV. de legib. sect. II. artic. I. qu. I. assert. 1. p. 435.) quod nihil aliud est, quam asserere, eas per modum pacti potius, quam legis pressè acceptæ valere. Jus autem gentium pariter ex populorum mutua consensione, non verò ex Majestatis alicujus, quæ populis omnibus imperaverit, jussione profectum esse, in propatulo est.

X.

Similis est ratio earum legum, quæ Reipublicæ cujusq; *fundamentales* appellantur, quibusq; jure jurando, qui ad eunt imperium, adstringere se solent. Nam & has pacta veriùs, quam leges, eo sensu, quem paulò ante indicavimus, appelles. Unde nostro judicio rectè Keckermannus lib. I. System. Polit. cap. 6. quod de legibus Politicis inscriptum est, agnovit, leges fundamentales, (quæ sunt de ineundo regno,) propriè huc non pertinere: quas tamen à multis sub idem genus cum iis legibus, quæ sunt de regno administrando, revocari videas: minùs congruè, ut opinor: toto enim genere distinctas eas esse, hoc ipsum arguat in primis, quòd leges administrandi regni subjaceant legislatoriæ potestati; *fundamentales* non subjaceant: unde nec abrogari à Principe possunt: vid. Keckerm. Disp. XXIX. Curs. Philos. Q. II. Petr. Gregor. lib. VII. de Rep. c. 20. n. 23. Dan. Otto. c. 12. de Jure publ. p. m. 314. nimirum quia ex pacto obligant, à quo discedi unius tantùm arbitrio partis non potest. Sine ergò nobis & hæ leges à potestate legislatoriâ ob rationem dictam exceptæ.

XI.

Divinas & naturales alia ratio excipit. Etsi enim hæ leges sunt veriùs, quam pacta: tamen penes hominem unumquemlibet, utpote, qui earum Legislatore Deo est inferior, non ferendi eas potestas est, sed parendi necessitas. Nos autem eam tantùm hinc consideramus legislatoriam potestatem, quæ est in homine, ut majestatem obtinente.

XII.

Relinquantur ergò huic potestati solæ *civiles* seu Politicæ Leges propriè sic dictæ, quas thesi X. de regno administrando esse diximus. Nam & ipsa potestas civilis est, & leges hæ ab imperantibus, h. e. potestatem

testatem civilem habentibus, absq; alieno consensu liberè ponun-
tur, ut juxtà eas univèrsa Respublica administrètur.

XIII.

Adhibenda hìc nobis est distinctio *legem* inter & *privilegium*.
Quam etsi non secutus est hìc in argumento Bodinus, nos tamen ex
eo proferemus: *Sunt, inquit, qui legem à privilegio dividant, quòd pri-
vilegium unius sit, aut paucorum, lex autem omnes cives, aut certè ma-
ximam civium partem complectatur; aut quia hæc de rebus univèrsis, il-
lud de singulis feratur, lib. I. de Repub. cap. X. fol. 150. Similis est
Dan. Ottonis distinctio inter leges generales & speciales (utrasq; ad
regendum imperium refert) quarum hæc dicuntur ipsi privilegia, cap.
XII. de Jure publ. p. 317. 318. Sed hìc vocem privilegii pressius, quàm
Bodinus, accepisse videtur. Privilegium enim Bodinus d. I. fol. 153.
appellat legem in unum aut paucos cives latam, sive ad eorum com-
moda, sive detrimenta spectet; Ottonem autem privilegia de iis tan-
tùm, quæ ad commoda spectant, usurpasse res ipsa loquitur.*

XIV.

Quemadmodùm ergò *legis* vocabulo interdum includitur pri-
vilegium, interdum opponitur: ita & sub *Legislatoriâ* potestate Bo-
dinus est, qui & jus irrogandi privilegii comprehendat: sunt alii, &
major quidem pars, qui hæc inter se distinguant. Cum quibus & nos
faciemus, *Legisque latoriam potestatem non in speciali, sed in gene-
rali tantùm occupatam lege lustrabimus.*

XV.

Bodinus, posteaquam *leges*, amplo satis conceptu, definierat
recta summa potestatis jussa fol. 150. mox fol. 153. primum ac præci-
puum caput majestatis facit, *legem univèrsis AC SINGULIS civibus
dare posse: expressè testatus, postrema verba ad PRIVILEGIA spe-
ctare. In eò provehitur usque, ut fol. 155. hæc jubenda ac tollenda
legis summâ potestate cetera majestatis capita venire perspicuum esse a-
jat: ut verissimè dici possit, summum Reip. imperium unâ re comprehen-
sum, scil. univèrsis ac singulis civibus leges dare, à civibus accipere nun-
quam. Nam bellum (inquit) hostibus suo jure indicere, aut pacem cum
iisdem inire, tametsi diversum quiddam habere videntur à legis appella-
tione, hæc tamen LEGE, id est, SUMMÆ POTESTATIS JUSSU fieri
constat. Sic etiam Majestatis proprium est de provocatione à supremis
magistratibus*

magistratibus cognoscere, ac majoribus magistratibus imperium dare & adimere: vacationes item munerum ac immunitates largiri: legibus cives solvere: vitæ jus ac necis habere: nummis precium, nomen, figuram tribuere: cives omnes jure jurando adigere: Quæ omnia imperandi ac prohibendi summâ potestate veniunt: id est, legem civibus universis ac singulis dare, nec ab ullo, præterquam ab immortalis Deo accipere.

XVI.

Pater hinc, Bodinum legislatoriam potestatem *latissimè* pro summâ ipsâ legibus solutâ potestate, h. e. *majestate totâ* accepisse, terminis ejus eò usque porrectis, ut etiam jus belli indicendi, ineundæ pacis, extremæ provocationis excipiendæ, constituendorum magistratuum, remittendi pœnas criminum capitales, cudendæ monetæ, & in universum Regalium omnium prærogativas ambitu suo amplectatur. Verùm ut intolerans est hæc acceptio, aliorumque Politicorum non approbata assensu: ita & nos eam auctori suo relinquentes, Legislatoriam potestatem considerabimus non *ut totam* Majestatem, sed *ut portionem* ejus, primariam eam quidem, & multarum quasi parentem aliarum, unam tamen è multis, atque ab his justâ ratione, quippe objecti diversitate, separatam.

XVII.

Nam eam quoque, quæ circâ *privilegia* est, potestatem, à Legislatoriâ distinguimus, si quidem privilegium ut *legem specialem* inspicias: jam enim th. XIV. prædiximus, ad speciales leges potestatem Legislatoriam nos non fore extensuros. Quòd si privilegium interpretaris *legis generalis exceptionem*: non prohibebimus, quò minus sub hoc respectu legislatoriæ potestati & ipsum objiciatur, quoniam ad eandem facultatem pertinet condere legem, quæ universos liget: & ex universorum cumulo, posteaquam ligati sunt, quem velis eximere, & obligationem illi remittere. Sed memineris eximendi hunc actum potestatis Legislatoriæ non *primarium* munus esse, sed unum è *secundariis*.

XVIII.

Est enim *primum* ejus officium id, quod ipsâ voce indicatur, FERRE legem. *Secunda* officia, primi que velut propagines sunt: Legem interpretari, laxare, restringere, suspendere, abrogare, restituere, & quæ sunt his similia. Quorum nullum fieri potest, nisi lex lata sit

B

ta sit

ta sit prius. Et hæc tamén omnia ejusdem esse potestatis nemo dubitat. Sed meritò factum ipsi est nomen LEGISLATORIUM ab officio potiore ac primario, quod diximus FERRE legem.

XIX.

Cæterum FERRE legem hîc non est *comminisci* aut describere legem, quod est *δυνάμεις* & prudentiæ legislatoriæ: sed eam auctoritate suâ in Remp. *introducere*, id quod ad majestatem & *ἐξουσίαν* pertinet. Hæc facillè intelliguntur ex iis, quæ jam thes. III. diximus. Cùm Solon Atheniensibus, Lacedæmoniis Lycurgus leges *tulerunt*, *δύναμις* penes ipsos, *ἐξουσία*, ut in Democratico regimine, penes populum fuit, quippe qui & potestatem ipsis dedit legum condendarum, & propositas ab iis suâ auctoritate valere jussit: perinde, ut populus Romanus eas, quas XII. tabulis complexi erant Decemviri. *Ita quidem* (inquit Bodinus fol. 154.) *legis illi scripserunt, sed populus jussit: tulerunt, sed populus scivit.* Longè ergò alio sensu Solonem, Lycurgum horumq; similes appellabimus *Legislatores*: alio potestatem *Legislatoriam* in Principe, aut populo, aut penes quemcunq; est majestas.

XX.

Adhuc alia ratio fuit, secundùm quam Judæorum *Legislator* vocatus est Moses. Neq; enim leges suas concepit ipse, sed excepit à DEO, neq; auctoritatem illis indidit, quam divinitùs jam habebant, sed iis tantùm promulgandis ministerium commodavit suum. In hæc igitur phraseos ambiguitate dicemus, *Legislatoriam* potestatem dici à Legibus, non *ministerialiter*, ut à Mose factum est: non *magisterialiter*, ut à Solone & Lycurgo: sed *principaliter* FERENDIS.

XXI.

In exponendo nomine tot theses prodegisse non pœnitet: Id enim lucrati hæc operâ videmur, ut in definitione interpretandâ minùs simus habituri salebrarum, quæ nos alioqui remorari medio in cursu poterant. Sic autem definiemus LEGISLATORIAM POTESTATEM: *Jus Majestati inherens, per quod Leges Politicæ universales poni, & rursus abrogari, quin & cætera, quæ inter hos duos actus media sunt, circa easdem peragi possunt, salutis publicæ causâ.* Vel brevius: *Regale circa leges universales occupatum.* Brevissimè: *Regale primum.*

Diximus

XXII.

Diximus enim esse *Jus Majestati inherens*. *Jus* quid hoc loco sit, repeti volumus è Grotio, cujus definitionem th. III. laudavimus. Is & *facultatem* appellat, & §. 6. duplicem facit: *Vulgarem*, qualis est patria potestas v. g. aut dominica: & *eminentem*, quæ regia est. Posteriores hanc & §. 14. *civilem* vocat *potestatem*, definitq; eam, quæ civitati præest. Nos vulgò majestatem vocamus, cujus pars seu caput quoddam particulare, est potestas hæc, quam definimus, *Legislatoria*. Hoc enim volunt verba: *Jus Majestati inherens*: quandoquidem hæret in majestate, tanquam pars in toto. Alii uno nomine *Regale* vocant.

XXIII.

Cùm autem Regalia seu Majestatis jura multa sint, ineundus hinc nobis eorum est aliquis census, ut perspicui possit, quem in iis dignitatis gradum potestas occupet *Legislatoria*. Sed hæc res paulò altius repetenda. Majestas omnis etsi *intrà* terminos Reipublicæ suæ spectata neq; superiorem agnoscit, neq; parem: tamen si *extrà* hos terminos procedat, pares tot habet, in quot alias Respublicas scissus est terrarum orbis universus, quia suam sibi singulæ habent majestatem, alienæ non subjectam. Quoniam ergò commune domicilium incolunt majestates omnes, orbem terrarum; fieri non potest, quin subinde negotiorum quædã iis communicatio intercedat. Horum ergò ratione majestati competunt certi generis regalia, quorum vi agere *majestas cum majestate* potest. Talia sunt, jus sancienti foederis, gerendi belli, ineundæ pacis, quodq; his omnibus subfervit, mittendi legati, & si quæ sunt his similia.

XXIV.

Diversi generis ea sunt regalia, quæ majestati competunt *cum subditis* comparatæ. In his præter *Legislatoriam* potestatem alias complusculas deprehendimus, puta vitæ & necis, creandorum magistratum, extremæ appellationis, vectigalium, tributorum, & quæ sunt reliquæ. Non enim catalogum, sed classes Regalium hinc conficimus. Liceat autem prioris generis regalia Scholasticorum vocabulo *equiparantiæ*; posterioris *disquiparantiæ* appellare. *Hist. Ger. II. de l. M. f. 26. Com. in Grot. f. 125. 127.*

XXV.

Hæc si inter se conferimus, *disquiparantiæ* regalia tantò cæteris præferenda sunt, quantò præstat, habere potestatem IN aliquem, quam

quàm CUM aliquo. Habet enim IN inferiorem superior potestatem; Par IN parem non habet: CUM pari habet, & quidem parera seu mutuam: cui videlicet æqua potestas respondeat in pari. Proficiuntur autem æquiparantiæ regalia ex potestate mutua; disquiparantiæ ex potestate supereminente; ut hinc facile sit horum æstimare dignitatem.

XXVI.

Accedit, quòd respectus ille, quem majestas habet ad inferiores, prior naturâ sit respectu altero, quam eadem habet ad pares. Per respectum enim ad subditos est *majestas*, per respectum ad pares non est *majestas* propriè, sed *sovia*, & (sit venia vocabulo) *Conmajestas*. Itaq; & repugnat, esse Majestatem sine subditis; non repugnat, esse majestatem sine pari: ut, si fingas totum terrarum orbem unius imperio majestatis contineri: aut in arcâ Noæ, cum cæteros homines diluvium extinxisset, non patriam tantum, sed & regiam potestatem in Noacho imagineris.

XXVII.

In eorum ergò Regalium classe, quæ digniora sunt, habetur *legislatoria potestas*. Nunc videamus, quem inter sui generis Regalia locum sibi eadem vendicet. Quâ in re sequemur primò filum aliorum: Deinde nostrum pertexemus.

XXVIII.

Sunt qui Regalia universim dividant in *Majora* & *Minora*. *Majora* dicunt respicere *personam* Imperantis, *minora* *fiscum*: unde & illa *dignitatis*, hæc *utilitatis* & *fisci* regalia appellant. Alii divisionem hanc ita malunt interpretari, ut *majora* sint, quæ circa res *precipuas*; *minora*, quæ circa *non adeò magnas* occupata sunt. Quidam & hoc addunt, *majora separari à majestate posse*, *minora non posse*. Sed hæc jam nihil ad nos, qui tantum quærimus legum ferendam potestatem cum cæteris jurbus super dignitate contendere.

XXIX.

Reponunt autem eam uno ore omnes inter *majora* regalia. Quo ipso non dubium relinqvunt, vel ipsius vocis augurio, eminere eam regaliis *minoribus*, qualia sunt: jus in flumina publica, in portus, imponendi vectigalia, tributa, accipiendi bona proscriptorum, & similia. Etenim manifestum est, ad *finem* totius Reip, quæ est *evdas*.

novia

*μονία & salus civium, propius accedere Legum potestatem, quam
minora regalia. Etsi enim finis iste Regalibus omnibus est propo-
situs: tamen ut leges ipsæ in hunc finem fortius atq; directius ope-
rantur, quam opes: quoniam legibus ipsa virtus introducitur, opi-
bus virtuti tantum parantur instrumenta: ita & potestas circa leges
nobilior potestate in opibus cumulandis occupata, sive toti civitati
opes illæ, sive imperantibus tantum colligantur.*

XXX.

*Majora Regalia Daniel Otto cap. XI. de Jure publ. p. 227. dividit
primò in Ecclesiastica & Politica: Politica rursus p. 230. in ea, quæ ad
justitiam administrandam, & quæ ad belligerandum pertinent. Postre-
ma hæc sunt, quæ thes. XXIV. equiparantia Regalia vocavimus, qui-
bus, quanto præstet Legislatoria potestas, sequentibus proximè the-
sibus binis declaratum est, Restant igitur, Ecclesiastica illa, & quæ
ad justitiam pertinent.*

XXXI.

*Ecclesiastico Juri Legislariam potestatem præferre durum vi-
detur. Nam & Aristoteles VII. Polit. 8. ubi ea, quibus carere civi-
tas non possit, enumerat, etsi quinto demum loco religionis ipsi ve-
nerat in mentem, corrigens tamen se quasi apertè fatetur, primum
hoc caput esse: *πέμπτον δὲ καὶ πρώτον ἦν περὶ τὸ θεῖον ὀπμιέλειαν, ἢ
καλῶς ἰερογείαν.**

XXXII.

*Distinctione res expedienda. Si civitatis cujusq; duas facimus
felicitates, unam temporalem, quæ cum hâc vitâ terminatur: alteram
spiritualem, quæ ad futuræ vitæ gaudia ordinata porro est; haud du-
bium quantò æterna caducis, tantò Ecclesiasticam potestatem Po-
liticæ prævalere.*

XXXIII.

*Sed apprimè dignum hîc animadversione, Principi, (quo no-
mine omnem Majestatem complecti volumus) in Ecclesiasticis ex-
ternam tantum potestatem, non internam, quæ DEI est, & ministe-
rialiter per ministros Ecclesiæ exercetur, competere: de quâ distin-
ctione consulatur Jac. Martin, lib. II. Polit. c. 20. pag. 665. Unde vi-
des, Ecclesiasticæ principis potestati, si eam Politicæ, sub quâ Legis-
latoriam locat Otto, opponas, quantum prærogativæ accedit è qua-*

B 3

litate

litate, tantum ob quantitatem decedere: siquidem longè amplior est Principis in Politicis rebus, quàm Ecclesiasticis facultas: nimirum quia regimen ipsum Seculare ab Ecclesiastico valdè diversum est.

XXXIV.

Rursum, si separare hæc duo felicitatis genera non libet, sed utramq; quoad ejus fieri potest, colligare: proclive est, sub Legislativâ potestate pari ratione, quâ disquiparantiæ Regalia omnia, ut th. XXXVII. docebitur, potestatem quoq; principis Ecclesiasticam circumplecti, quam expressè Jac. Martini d. l. νομοθετικὴν vocat, eamque ait extrâ templum circâ personas & res Ecclesiasticas civiliter exerceri. Ut proinde non tam opponi ea Legislativæ, quod Otto fecit, quàm ad eam cum Jac. Martini & Hug. Grotio lib. I. de J. B. c. 3. §. 6. revocari debeat. Ubi simul observatum velim, Ecclesiasticam Principis potestatem non esse confundendam cum eâ, quam thesi IX. toti Ecclesiæ dedimus. Quantum autem hæc distent, intendenti animum non erit ad eò obscurum.

XXXV.

Ad ea venio Regalia, quæ administranda justitiæ causâ comparata esse Otto dicebat. In quibus ipse Legislativæ Juri primum locum meritò assignat. Cætera enim hujus ordinis omnia eò tendunt, ut leges universim conditæ in singulis regni partibus suos custodes nanciscantur, ut jus instituendi magistratûs: aut executioni earum inferviant, ut jus vitæ & necis: aut exceptioni, ut ea omnia, quæ ad potestatem privilegatoriam revocari possunt, puta, jus nobilitandi, legitimandi, restituendæ famæ, veniam ætatis concedendi, & similia. Quibus omnibus potestas Legislativæ dignior habenda, partim, quia eorum fundamentum est: partim, quia totius civitatis, cætera partium tantum salutem procurat. Εἰ γὰρ καὶ ταῦτόν ἐστιν ἐνὶ καὶ πόλει, μείζονα καὶ τελειότερον τὸ τῆς πόλεως φαίνεται καὶ λαβεῖν καὶ σώζειν ἀγαπῆτόν μὴ γὰρ ἐνὶ μόνῳ· κάλλιον δὲ καὶ θειότερον ἔσται καὶ πόλει. ut Philosophi hoc ad rem præsentem accommodemus è c. 2. lib. I. Nicomach.

XXXVI.

E comparatione hæctenus institutâ liquet, Legislativæ potestati inter Regalia disquiparantiæ primas deberi. Id quod & fortissima convincit ratio. Fluit enim immediatè ex naturâ majestatis. Non est majestas in Republicâ nisi imperantium. Imperantes verò con-

contemplatione eorum dicuntur, qui subsunt. Subsunt majestati cives, non singuli modò separatim, sed, quod amplius est, & à quo præcipuè æstimatur majestas, simul *universi*, unà cum omnibus bonis suis, & quæcunq; in Rep. imperium patiuntur Sequitur ergò, ut huic universitati imperare ea possit. Neq; verò aliter potest, quàm per legem *universalem*. Habebit ergò hujus condendæ potestatem.

XXXVII.

Jam facile sit ostendere, si quis hoc agat, quemadmodum ab hâc facultate porrò cætera propagentur regalia. Qui enim potest lege *universali* vincire universitatem totam: idem ex plenitudine hujus potestatis particulis universitatis quibuslibet vel novas, h. e. *speciales* leges indere: vel & *absolvere* eas à subjectione *communium* poterit. Quibus titulis omnium, opinor, reliquorum disquiparantiæ Regalium vis continetur.

XXXVIII.

Neq; dubium, quin hæc Bodinum admonuerint, ut hâc unâ re summum Reip. imperium comprehensum scriberet, uti thes. XV. vidimus. Qui tamen, quòd belli quoque indicendi jus, & quæ regalia *equiparantiæ* vocavimus, huc revocat, eò, quòd summæ potestatis jussu seu lege id fiat: cum cautione nobis audiendus est. Hujusmodi enim jussiones, in quantum jussiones sunt, terminantur in personis eorum tantùm, qui majestatis nomine bellum indicunt, pacem pangunt, feriunt fœdus: non etiam transeunt in eos, quibuscum belli, pacisvè, aut fœderis societas suscipitur: qui tamen hâc in re, ut *terminus ultimus objectivus*, respiciendi potissimùm sunt. Nam & alioqui Majestas ipsa per se indicere bellum potest. Indicens autem nequaquam exercet vim illam Legislatoriæ, sed agit, ut th. XXV. diximus, tanquam par cum pari.

XXXIX.

Quod ergò è Legislatoriæ potestate cætera regalia propagari diximus, de regalibus *disquiparantiæ* intelligendum. Nam *equiparantiæ* regalia ex alio fonte fluunt, qui est potestas, non, *legem* ferendi alteri tanquam inferiori: sed, in legem, seu *pactum* veriùs, cum altero, ceu pari, coeundi. Nam &, qui bellum suscipit cum altero, in eadem cum eo Leges belli juxta Jura Gentium consentit. *Coire* autem in legem, & *ferre* legem, nimium quantum distant: Illud eorum est, qui *sui*, h. e. liberi sunt; Hoc eorum, qui *suos*, i. e. subjectos XL.

XL.

Nihil autem dignitatis inde Legislatoriæ potestati decedit, quod eam *non omnium* regalium cum Bodino matrem fecimus. Sufficient enim, quod eorum, *quæ cæteris potiora* esse thes. XXV. probavimus. Retinebit ergo ea *primitatem* suam, si ordini uni regalium ut mater ac dux; ordini alteri, cum familiâ suâ ut Senatorius Ordo apud Romanos Equestri, præcedat.

XLI.

Atque hic honor habetur ipsiâ Politicis ad unum ferè omnibus, quos in Regalium enumeratione primo loco Legislatoriam potestatem citare in exordio diximus. Ipse Aristoteles, quando IV. *Polit.* 14. tres facit administrandæ Reip. partes, *unam*, consultationem de rebus communibus; *alteram*, curam magistratuum; *tertiam*, judiciorum: leges ad *primam* illam, quæ est de rebus communibus, refert. Et Jacobus Patriarcha *Genes.* XLIX. v. 10 (quod Besoldus observat *Dissert. de Majest. sect. 3. cap. 2. n. 1.*) sceptro immediate Legislatorem conjungit.

XLII.

Monstravimus, potestatem Legislatoriam esse & *jus Majestatis*, & reliquorum comparatione *primum*. Antequam pergamus ad reliqua, non amittenda hic nobis est occasio pauca de *Subjeto* ejus dicendi. Quod in *simplicium* Rerump. generibus quale sit, manifestum est: Princeps scil. in Monarchiâ; in Aristocratiâ Optimates; in Democratiâ Populus: quando Regalium omnium non aliud potest esse subjectum, quàm quod ipseus est Majestatis, regalia tanquam particulas suas comprehendentis.

XLIII.

Ac in *mixtis* Imperiorum Statibus, ubi jura Majestatis divelli ab invicem possunt, manseritne Legislatoria facultas indivisa penes *universos*: an ad *partem* imperantium unam pluresve, & ad quam transferit, definiri certo atque *in universum* non potest: Sed in exempla ipsa talium Rerump. intuendum, & de unoquoque pronunciamdum est *sigillatim*.

XLIV.

Licet enim Arnisaus *lib. 1. Polit. c. 8. pag. m. 165.* ubi de mixtæ Reip. rationibus in genere Philosophatur, legum de omnibus rebus
feren.

ferendarum potestatem nulli parti soli in eâ committi posse scribat & magis id tamen de legibus *ineundi* regni, quas huc non pertinere thes. X. ostendimus, quam *administrandi* intellexisse videtur. Nam ipse mox distinguit inter leges, quæ *ad statum* Reip. pertinent (nos *ineundi* regni appellavimus) quas vult aut ante foundationem Reip. conscriptas esse, aut consensu omnium conscribi: & inter eas, quæ *de rebus aliis* feruntur (nobis regni *administrandi*;) atq; his ferendis pag. seq. in eâ Rep. quam proprio ingenio miscet, solum Senatum præficit, adeoq; legislativam potestatem certæ parti in statu mixto imperantium attribui posse judicat. Id nî ita est, ipse viderit, quomodo posterioribus peiora consentiant.

XLV.

In *hodierna* quidem *Imperio Romano*, in quo Monarchiam Aristocratiam temperatam esse Politicorum probatissimorum ferè fert opinio, Leges universales ab Imperatore cum consilio & consensu Statuum Imperii conduntur. Unde hæc formula in Recessibus Imperii: *Darauff Wir uns mit des H. Reichs Ständen/und Sie mit Uns nachfolgender Artikel/ als ein Christlich Corpus gegen und mit einander vereiniget/ verpflichtet und vertragen.* Dan. Otto cap. XI. de Jure publ. p. 231.

XLVI.

Habent & *Principes* Imperii atq; *Electores* jubendarum legum, quæ non in Imperio quidem Romano, in suo tamen cujusque territorio universaliter valeant, & secundum quas ipsa Camera Imperialis adstricta sit judicare, uti sunt Jura & Constitutiones provinciales, potestatem, eamque exercent vigore *superioritatis*, *Krafft Landesfürstlicher Obrigkeit*: unde & *tantum in suo territorio posse* dicuntur, *quantum in universo Imperio Imperator*. Verum cum Regalia sua ab Imperatoriâ concessione obtineant: notabis hinc, ferendæ legis facultatem non modò penes magistratum *summum*, sed & *summo subordinatum* esse posse. Vid. Wendelin. *lib. II. Polit. cap. XI. th. 6. p. 154.* & *cap. XXXIV. th. 3. p. 388. 389.* Schönb. *III. Polit. 2. p. 243.* Dan. Ott. *cap. XI. de Jure publ. p. 231.* Libenthal. *Disp. VII. Polit. th. 20. & 25.* & *Disp. XII. th. 24.* Unde non injuriâ distinguas inter subjectum Legislatoriæ potestatis *primum* & *à primo proximum*.

XLVII.

Imò, si *Rempublicam Judaicam* inspicias, fuit in eâ olim utroq; subjecto

C

subjecto infinitis intervallis altius, & prorsus incomparabile DEUS ipse gloriosus. Habuit enim ea Politia præ cæteris omnibus totius mundi hoc eximium ac peculiare, quod Majestas ejus non in homine acquievit, sed à DEO præpotenti immediatè sustentata est, nihil inde decerpente mose, sed servi instar jussa Dei gubernantis & expectante, & exequente. Quare eam Josephus lib. II. contra Apionem neq; monarchia, neq; ullo alio, quo vulgares usurpantur Respublicæ, sed in usitato *θεοκρατία* nomine insigniendam putavit.

XLVIII.

Et verò leges illam non ab homine, sed à DEO accepisse dubitare nos vetat religio. Neq; enim suas esse illas moses professus est, sed in solidum transcripsit DEO: *Hæc sunt præcepta, & ceremonia atq; judicia, quæ mandavit DOMINUS DEUS VESTER, ut docerem vos, ut faciatis ea in terrâ, ad quam transgredimini possidendam, Deut. VI. v. i.* Neq; in hoc mentitus est quicquam, ut Gentilium Legislatores, quorum alius Jovem, Apollinem alius, alius Minervam, unus nescio quæ Egæviam Deam legum suarû auctorem jactitavit, à Valerio Maximo ipso Gentili verissimè inter exempla simulata religionis commemorati omnes lib. 1. cap. 3. al. 2. Scimus nos, omnes Deos gentium demonia fuisse, Psal. XCVI. v. 5. (quibus ferendarum legû jus nemo sanus tribuerit;) DEUM autem verum non fecisse taliter omni nationi, & judicia suis eis non manifestavisse, Psal. CXLVII. v. ult. Quare quicquid extrâ Judaicam Remp. repertum fuit legum præcisè civilium, non aliâ, quàm humanâ autoritate valuisse certum est. Nos interim meminerimus, Legislatorem potestatem, quam ipse in suo populo exercuit DEUS, minimè ex rationibus humanarum potestatum æstimandam, sed de eâ non nisi summâ cum reverentiâ cogitandum esse nobis.

XLIX.

Tempus est, ut ad reliquam definitionis partem progrediamur. In quâ duo expendenda restant, *Objectum, & Finis.* *Objectum* Legislatoriæ Potestatis sunt *Leges Politicæ Universales.* *Leges* inquam, non pacta, ex thes. VIII. *Politica,* non naturales aut divinæ, ex th. XI. *Universales,* non speciales aut Privilegia, ex thes. XIII. Hunc enim ex illâ thesium segete fructum capimus, ut breviores lineas hîc ducere liceat.

L.

Id addimus, quod probè tenendum venit, esse in Politicis Legibus

bus multis mixturam quandam Juris *Naturalis* & *Positivi*, seu *divini* & *humani*. Unde & *Legem Civilem* definiunt Christian. Matthias *lib. III. System. Polit. Exerc. IV. sect. 8. theor. 7.* & Jac. Martini *lib II. Polit. c. 31 th. 20. praeceptum-non pugnant cum jure divino aut naturali, sed ad jus naturae addens circumstantiam aliquam probabili ratione definitam.* Tales ergo quae exstant, in iis ea, quae juris *divini* sunt, discernere oportet ab iis, quae juris *humani*. Non enim illa sed haec tantum potestati *Legislatoriae* hominis propriè subjacent. Quae *divini* juris sunt, ut jam antè à DEO jussa, exponere *Majestas* potest, & quasi in *memoriam* revocare *subditis*, etiam tacente *Magistratu* jam obligatis: tollere non potest; quae *humani*, pro suo arbitrio jam figendi, jam refigendi licentiam habet.

LI.

Jam & hoc declarandum est, quomodo *Universales* dicantur *Leges Politicæ*. Nimirum non *temporis*, sed *loci* respectu. Non enim sanè, quia omni tempore valeant, aut valere debeant: aliàs abrogari non possent: quod tamen DEUS ipse in lege *Ceremoniali* ac *forensi*, quam *Judæis* dederat, exorto eo, qui esset *finis legis*, fieri voluit. Nihil ergo vetat, quò minus ab homine quoq; *lex universalis* feratur in certum tempus, ut, si *Princeps* angustiâ *ærarum* pressus *scorteo numo*, lege *universali*, valorem in aliquot annos imponat, aboliturus postea & *legem*, & *numos* meliore *monetâ* permutatos. Imò sunt quaedam *leges* quantumvis *universales*, quas *objecti sui* conditio non patitur *æternas* esse. Qualis illa fuit *Elizabethæ Angliæ Reginae* Anno 1571. lata, quâ vetitum fuit, ne *successor ipsius aut heres*, eâ *superstite*, *scripto publico* affirmaretur *quisquam*, *Cambden. Annal. pag. 223.* Quod *statutum* uti non potuit eâ *mortuâ* non simul *expirare*: ita, si diutius id voluisset *vigere* *Regina*, absurda fuisset ipsa.

LII.

Dicuntur ergo *Leges Politicæ Universales* *ratione loci*, h. e. quod in totâ *Republicâ* ligent, quicquid ligari lege potest. Possunt autem *Persona* & *Res*: magis tamen *Persona*. *Res* enim non aliter ligantur, nisi quatenus ad *personas* pertinent, aut pertinere possunt. Cumq; *legum finis* sit *beatitudo Politica*, non sanè *is rebus*, sed *personis* inducitur. Adde, quòd longè *efficaciùs* vim legis *Persona*, quàm

Res accipere possunt. Persona enim non modo patiuntur à lege; sed & ex legis præscripto agere possunt ipsæ; Res verò patiuntur tantum à legibus, v.g. ut à domino ad dominum transire possint, non etiam agunt. Hæc ideo admonenda fuerunt, ne quis civilium Legum angustum nimis objectum animo concipiat, eò quòd scriptores, Ethici imprimis, ubi de legibus agunt, si personarum, item actionum moralium mentionem injiciant, perfunctos se officio putant. Signatè Festus in Rogatio: Quod in omnes homines RE SVE populus scribit, Lex appellatur. Nam & Majestatem, cujus præcipuum jus est legum ferendarum, definiunt potestatem summam in personas ac res suæ ditionis.

LIII.

Pertinent, quæ hæcenus diximus, ad *materiale* objecti. Nam *formale* judicandum est è ratione, secundum quam circa objectum suum versatur Legislatoria potestas. Ubi ad duo intendendus mentis oculus: ad id, *quod* agitur, & ad *modum*, quo agitur.

LIV.

Id quod agitur, sunt *actus* ipsi, ad quod potestas hæc ordinata est. Hi sunt *extremi* duo: ponere legem, & positam tollere. *Medii* inter hos: conservare, interpretari, extendere, restringere, suspendere, & id genus alia. Quorum partim magis ad ponendi, partim, ad tollendi naturam accedunt.

LV.

Primus tamen omnium actus est, *legem ferre*, seu ponere: neque intelligi cæterorum ullus potest, nisi cum respectu ad hunc. Nam & ipsa restitutio legis, quæ circulus quasi actionum istarum denuò reperitur, etsi absolute à positione legis non differt: hoc tamen nomen non haberet, nisi alia positio præcessisset. Ideò supra thes. XVIII. legem ferre primum potestatis hujus officium fecimus: quam & dignitate quodammodo eminet: Certè abrogatione, cujus terminus est privatio, palam præstat.

LVI.

Cur autem hæc potestas non condere tantum, sed & *destruere* condita possit, verbis Hug. Grotii exequemur: *Se per modum legis* (inquit) *id est, per modum superioris obligare nemo potest: & hinc est, quòd Legum auctores habent jus leges suas mutandi*, lib. II. de jure Belli cap.

li cap. 4. §. 12. Adde, quod (ut habet Regula Juris antiqui) *nihil tam naturale est, quam eo genere quodq; dissolvere, quo colligatum est.*

LVII.

Conservatur lex duobus modis: *negativè*, quam diu non tollitur jussione contrariâ: *positivè*, si frequenti exercitio mandatur executioni. Qui conservandi modus plus roboris habet. Nam eo deficiente, utcunq; nulla fuit à principe facta Legis aperta revocatio: tamen illa consuetudine tacitæ abolitionis speciem habet, prævalente adversus legem consuetudine impune contrariâ.

LVIII.

Interpretari legem ejusdem esse, qui tulit, indubium est. Si enim aliâs verborum suorum quisq; interpretes optimus habetur: quid nî & in Principe hoc valeat, volente declarare, vel quid legem condenti fuerit in animo, aut non fuerit: vel quid applicanti legem sequendum maximè, negligendumve videatur. Est autem hæc interpretatio *authentica*, sic, ut vim legis ipsa obtineat. Quod de *usuâli*, quam vocant, & *doctrinali* interpretatione non perinde valet.

LIX.

Extensione lex ad alia quoq; quæ non dicta sunt quidem, non tamen abhorrent penitus, profertur: *Restrictione* minoribus, quam initio, terminis coercetur. Huc & ea pertinent, in quibus Romani *subrogandi* verbo, & *derogandi* utebantur: quibus *subrogare* erat aliquid adicere; *derogare* partem auferre.

LX.

Suspendi lex, aut *relaxari* dicitur, cum vinculum ejus, manentis de cætero, circa personam aut factum singulare tollitur. Est, ubi hæc relaxatio à tempore potius pauco, quam personis paucis nomen fortitur. Ut cum post Leuctricam pugnam svasit Agesilaus, ut lex in desertores lata, qui tum & multi erant, & potentes, uno die cessaret, in posterum valitura, quemadmodum narrat Plutarchus. Idem Agesilaus, ut conjurati tolli è medio possent, quod periculosissimum erat, nisi contra leges indictâ causâ fieret, Valerio Maximo referente, leges continuo abrogavit, & interfectis fontibus è vestigio restituit. Nihil prohibet, quò minus hanc relaxationem fuisse dicamus.

LXI.

Hæc de *actibus* Legislatoriæ potestatis sufficiant, quanquam

C 3

dici

diei plura potuissent, nisi ad finem animus properaret. Ad *agendi modum* sufficit, si in his actibus *liberè* versetur Majestas, alterius neque præscripto adacta, neque consensûs indiga. Utrum autem ipsa inveniatur leges, an inventas ab aliis assumat sibi, aut aliàs exemplum sequatur externum: item, per se ipsa actûs suos, an per alios exerceat, nihil refert.

LXII.

Finis Legislatoriæ potestatis *salus est publica*, seu Civium universorum Politica felicitas: *Ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἡ σωτηρία τῆς πόλεως* ait Philosophus I. Rhet 4. Est verò in virtute posita hæc felicitas. Unde alibi scribit noster, Politicæ disciplinæ maximam curam esse hanc, ut cives efficiat *πρακτικὰς τῶν καλῶν*, I. Nic. 9. efficit autem bonis legibus: quare cap. 13. conjungit *ἀγαθὰς & τῶν νόμων ὑπηκόας*.

LXIII.

Hic finis ut obtineatur, *Prudentiâ* legislatoriâ opus est, quam Legislatoriæ Potestatis *assistentem formam* nuncupare possumus. Gubernat enim ejus exercitium, ut in eas tantùm leges erumpat, quæ justæ sunt, honestæ, ac salutares: ut leges, cùm opus est, ponat, relaxet, aenat, molliat, immutet, tollat. Ab hujus prudentiæ defectu pessimæ in quibusdam Rebus. Leges natæ; à pessimis Legibus pessimæ ipsæ effectæ sunt Respublicæ. Sed hæc *δύναμις* seu *τεχνὴ νομοθετικὴ* peculiarem tractationem deposcit.

SOLI DEO GLORIA.



Leges ponendi cui sit concessa potestas
Præsides Thomasio differis egregiè.
O utinam Leges servaret quisq; salubres,
Ut ne magnatum Lex repetenda foret!
Pergito sic doctâ penitus madefactus ab undâ
Hilboldi tandem præmia digna feres.

ita Eximio Dn. Resp. gratul.

M. Joh. Sig. Schwenc^{ke} Fac. Phi-
los. p. t. Decan.

Ad Præstantiss. & Politiss.
Dn. Respondentem.

Lex populum, ceu cornipedem moderantur ha-
benæ,
Quas ut eques, legem sic regit Induperans.
Hæc HILBOLDE, animo cupis indagare sagaci:
Nempe exile nihil mens generosa cupit.

PRÆSES.

HILBOLDE docte, amabilis
Mehercle doctis redderis;

Legis-

Legisq; tu latoribus
Amabilis nunc redderis:
Est causa, quur te singuli
Ament, labor, THOMASIO
Cliente-amico BARTHII,
Quem praesidente suscipis,
Quod si modo isto in Musicis
Perrexeris castris viam,
HILLBOLDE docte, absolvere;
Praeclara quaevis augurans
Promitto de mea fide,
Legisdatorem patriae,
Legisdatorem civibus,
Omniq; te plebi optimum
Annis futurum subsequis.

*Ex singulari animo in Politissimum Dn. Conterraneum
L. M. Q. scribebat*

M. EBERHARDUS Müller/
Colleg. Wittenbergens. Philos.
Adjunctus.

I D E M.

Dimidium facti, qui coepit, habet, sapere aude,
Est ingens sapere his gloria principis.

HILLEBOLDE, meus praesto est favor, est
bona docti

Gratia magna chori: Sic modo perge viam.
Patria se tibi tota dabit, dabit Enthea Phœbi;
Quid Phœbi? Christi se Charis imo dabit,

Sinn

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387



sb.

Reho ✓ 107

Handwritten text on the spine of the book, including a red initial 'P' and a decorative border.





26

V.
POLITICA
TATE
TORIA,

Philosophicæ
su

ro
HOMASII,

Prof. Pub.

vemb.

onfuetis

W
LLEBOLD,
onus.

Æ,
S' Wittigan /
LIV.

W

I

